



# TEMP<sup>L</sup>O<sup>R</sup>UM

CURIENS<sup>I</sup>UM,  
ADHUC PER DEI GRATIAM SUPERSTITUM,

ANTIQUISSIMUM,

In veteri Urbe situm, &

D. LAURENTIO,  
DEDICATUM;

quod coad ejus origines, incrementa, fata & faciem  
tam exteriorem, quam interiorem.

Historica Delineatione pingit,

eaque ipsa  
ad audiendum d. XXI. Maji, à precibus maturinis,  
TRES ORATORES,

in simile  
Illustri Curiano

ad Legum tenorem Valedicturos,  
PRIMORES URBIS

devotè invitat  
M. JO. CHRISTOPH. LAYRIZ,

Gymnasii Patrii Rector.

Stanno Minzeliano,

gratiae, favoris amonque in nostra nota deuotus, nunquam de-  
meminerit.


 Vi nomina saltim & rudera Templorum Veterum Urs  
 bis nostræ CURIAN æ exhibere & è tenebris eruere  
 solicii hactenus fuimus, nunc ad illa transimus, qvo-  
 rum salva per DEI gratiam integritas nos hodiernum  
 exhilarat; qvæ inter, ut omnium cum collapsorum,  
 tum eorum etiam, qvæ supersunt, est antiquissimum, quod D.  
 LAURENTIO inscribitur; sic nobis quoque, cum & Parochialis  
 olim honore exsplenduerit, reliquis jure fuit anteponendum.

Eant autem Origines hujus cum ipsius Urbis primis Originib  
 us proximæ, ut qvæ de his peculiari Schediasmate superius at-  
 tulimus, hic per potiora vñlimus repetita. Nam ille ipse præ-  
 donum nidus, monti Clausen impositus, das Raub-Schloß auf  
 dem Clausenberg / hodiernum nostrum Cœmiteriale est Tem-  
 plum, condendoque primum viculo & exscindendæ sylvæ, pre-  
 donum latibulo, dedit occasionem, quod circiter A. 1080. fuisse  
 factum, ex probabilibus Patriæ monumentis citato loco p. 8. do-  
 cuimus. Tanta nimirum pii Majores pollebant devotione, ut  
 quem locum receptaculum omnis impietatis, apertæque vis &  
 injuriarum noverant domicilium, divini cultus honorisque con-  
 stituerent habitaculum, qvò expiata quasi deprædandi Irnidine  
 Verbum DEI impostorum ibi sonaret, hominibusque in pace eo  
 frui licoret esse felicibus, ubi non ita pridem tot percuntium la-  
 menta, tot spoliatorum querulæ voces, totque injustè detento-  
 rum auditu fuerant gemitus; eo in loco Dei, in corporis animæ-  
 que necessitatibus imploraretur impetrareturve auxilium, qvō  
 olim corpora non tantum, sed & forte multorū periclitatæ animæ.

Figuram & magnitudinem pristini & primi quod attinet Tem-  
 pli, neutraliquid adeò patet, nam ab antiquo illo nostrum mul-  
 tū est immutatum & capacius redditum; Et primò quidem  
 media saltim Templi pars, quam inæqualitas superimpositi tecti  
 facile à reliquis duabus discernit, & facies interna Tabulis pictis  
 strata ostendit, ejus magnitudinem absolvisse creditur, qvæ fi-  
 gurâ

gurâ oblongâ, longitudinem parietum habet 54 pedum; distan-  
tia ab invicem seu latitudine internâ 35 pedes vix excedente.  
Altitudine vero murorum usq[ue] ad tectum ad 2 pedes pro-  
tensâ. Cum verò successu Temporis plures incolæ commodi-  
tate loci in nostram allicerentur urbem, q[ue]is capiendis ædes  
hæc sacra, tunc pro Matre cæterarum agnita, non sufficiebat, pro  
ampliâdâ istâ Majores suscepérunt cogitationes, trinasq[ue]; Capellas  
versus Orientē adjeccerunt, qvarū priores duæ, omnibus patentes,  
una S. JOANNI, altera autē OMNIBUS SANCTIS inscripta, Cho-  
rum absolvunt, tertia adytum p[ro]æbet Sacerdotibus, seu Sacrarium,  
vulgò, die Sacristen. Extructæ hæ sunt Annæ circiter 1392  
& Festo Agapeti Martyris, in Dominicam incidente, 18 Aug. e-  
jusdem, publicè sunt dedicatæ, q[uo]d prisca simplicitatem redi-  
lentes versiculi, olim fornici istius Chori inscripti, p[er]st[an]d[unt] vero albe-  
dine tinti & oblitterati, Widemanno tamen servati, seqventem  
in modum loqvuntur:

*Possit Christum Mille, minus Octo, Et quater, ille*

*Sacer cœpit Prisco Chorus in Agapeti quoque Feste.*

Et hæc augmenta consecutum Templum in flore hoc eduravit ad  
A.C. 1430, q[ui] ut integræ nostræ Urbi, Hussitarum furore, fatalis  
extitit, sic funesto igne hanc quoq[ue] Laurentii primariam tunc  
temporis ædem penitus delevit. Nempe cùm A. 1415 Pragen-  
sium Concionator & sincerioris Theologiæ reparator acerrimus  
jo. Hus, d. 6. Julii, & brevip[er]st, fidus ejus in munere ac doctrina so-  
cius, Hieronymus Pragensis, in Concilio Constantiensi, contra da-  
tam ab Imp. SIGISMUNDO, Monachorum clamoribus victo, fi-  
dem, exusti essent, indignissima hac suorum cæde irritati Bohemi  
Husitæ, nō tantum Bohemiam, sed integrum ferè etiam Germani-  
am, cum primis Saxoniam, Misniā, Thuringiam, Bavariam, Fran-  
coniam & in medio harum Provinciarum sitam Varisciam no-  
stram miserè multarunt, Urbes everterunt, Templa & Monasteria  
combusserunt, monachos dirissimis cruciatibus subjecerunt &

Nulla etatis sextusve habita ratione in quosvis crudelissime sa-  
 vierunt. Sersit hunc furem nostra quoque Civitas; Cum  
 enim vicina nobis Urbs Plavia, de cuius excidio locus Dubravii  
**Histor. Bohem. Lib. XXVII.** n̄ nomen fallat, agere videtur, 25.  
 Januarii, ipso die Conversionis Pauli, quod muros armatis com-  
 plere & Thaboritis his se opponere ausa fuisset, vi esset recepta,  
 cædibus & spoliis exagitata, ædificiis quoq; post inflammatis, re-  
 sta via Curiam petebant nostram, eam quoque armata aliquot  
 post dies occupantes manu, àq;e omnimodā ejus depræda-  
 tione, multā incolarum strage, latēque actis ē Templis cum  
 rerum sacrarum, cum privatarum ē domibus spoliis, ipsam Ur-  
 bem, cum omnibus Templis, miserabili incendio absumperunt.  
 Conflagravit sic quoque Laurentianum nostrum, & in cineres om-  
 nimodē fuit redactum. Nihilominus, cum Serenissimi tunc  
 Patriæ Patres, Marchio **FRIEDERICUS** cum filio **JOANNES**,  
 eo ipso Anno, d. 6. Martii, prima post Invocavit Feria, subditos  
 suos, per hoc belli fulmen penitus prostratos, in tantum clemen-  
 tissimē erigerent, ut immunitatem ab omnibus impositis one-  
 ribus, ad integrum Decennium illis concederent, devoti in DЕum  
 Curienses res suas à Templorum reædificatione, multò rectius,  
 ac hodie apud multos fieri solet, restituendas judicarunt, hinc  
 nostro admoventes manus, haut integro biennio illud repara-  
 runt; Et ut pristino Cultui inservire posset, quod ex genio Se-  
 culi, & nefandis *Hereticis* ( ita enim loquuntur literæ Indulgentiales,  
 quvarum adducendarum & ab oblivione vindicandarum cura su-  
 persedere me jussit Frater lectissimus, im Pabst-Thron à p. 1030--  
 1034 eas exhibens ) una cum tribus capellis & omnibus altaribus, ignis  
 voragine, nec non violentâ effractione, crediderant execratum, A. 1432  
 mense Octobri à **GERARDO**, Episcopo Saloneensi, nomine Dice-  
 cesani tunc temporis, **ANTONII**, Episcopi Bambergensis, cum  
 ipso coemiterio fuit reconciliatum, seu denuo dedicatum, ubi in  
 dictis Indulgentialibus inter alia, illis quoque quadraginta dies de

in-

injunctū pānitēciū relaxantur, qui ad libros, calices, capsules, albas vel alia hujuscemodi indumenta & preparamenta Sacerdotum & Altarium: vel qui ad fabricam, ornamenta, luminaria, aurum, argenteum & alia dicta Ecclesiae necessaria, in euitu divino, manus suas porrexerint adjutrices, aut qui in fano corpore, aut in fine vitæ suæ p̄fatae Ecclesiae & capellis quædam pro modo suarum legaverint facultatum; ut adeò liquidò pateat, sponsionibus quoque & persuasib⁹ popello bonorum Operum meritis, sacrae nostræ Ædis reparationem omni Majores urbis studio. Non tamen in tantum proficuum hoc fuit studium, ut ad pristinam illicò consurgeret dignitatem & splendorem, hinc cum Vir ut avitâ Generis Nobilitate, sic Eruditionis munerumque splendidissimorum famâ, meritorum quoque gloriâ in nostra Curiensium Templa admodum Illustris, ex antiquissima Franconicæ Nobilitatis Prosapiâ de Stein ortus, Hereindus de STEIN, quem & Latino nomine Hertindum de Lapide scriptum inveneris, Juris Ueriusque Doctor, Ecclesiae Dominicæ Bambergensis Decanus, & sedis Apostolice Protonotarius, Plebanum ageret Curiensem, novis quæsitis indulgentialibus, iisque largissimis, incrementum hujus Templi, ad Annos 1466, 67. promovit, quas cum Antiquitas summo in æstimo habuerit, illæque alibi non compareant, è Widemannno his inscrere non gravabor, qui sequenti illas notavit Inscriptione:

Literæ maximæ pro Ecclesia S. Laurentii, undecim Sigillis Cardinalium confirmata, quorum nomina & dignitates proper Scriptura obsecuritatem seu liceram fugientem & exolescentem, legi jam non possunt, Sigillis tamen hac nomina in Membrana fuerunt adscripta.

M. C. Dies.

Besfarion Græcus. Rothomagens. Ursinus. Ammonens. Zamorens. Anastasias. Constantiensis. Spoleranus. Ravenna. Vice-cancellarii. Manuanus.

Initium deficit.

Sicut sancte Romane Ecclesie Cardinales, universis Christi fidelibus has literas inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Splendor paterna glorie, qui mundum ineffabili illuminat claritate, pia vota fidelium, de ipsius Clementissima Majestate sperantes, tunc præcipue benigne favore prosequitur, cum devota i-

psorum humilitas sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut Parochialis Ecclesia S. Laurentii, sita extra muros Oppidi Curie Regnitz, Bambergensis Diœcesis, congruis frequentetur honoribus, & à Christi fidelibus jugiter veneretur, & ut Christi fideles eò libentius devotionis causâ confluant ad eandem; quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberiori conspexerint se refectos: etiam supplicationibus dilecti nobis in Christo Hertindi de Lapide, Legum Doctoris & Decani Bambergensis, Apostolice sedis Protonotarii & prefatae Parochialis Ecclesia Rectoris (seu Plebani) super hoc inclinati: de omnipotentis DEI misericordia, & beatorum Petri & Pauli, apostolorum ejus, autoritate confisi; omnibus & singulis utrumque sexus hominibus, verè pœnitentibus & confessis, qui dictam Parochialem Ecclesiam in singulis Annunciationis gloriae Virginis Marie & aliis Festis, in die Parascevas, Sancti Laurentii, predicate Ecclesie Patroni, nec non Dedicationis ejusdem Ecclesie festivitatibus celebrandis, devote visitaverint annum, & ad reparationem, augmentationem, & conservationem adiutorum, calicium, librorum & aliorum ornamentorum, pro divino cultu inibi necessariorum, quotiescumque manus suæ porrexerint adjurices: Nos Cardinales prefati, & quilibet nostrum, pro qualibet die festivatum & celebratum hujusmodi, Censum dies Indulgentiarum, de injunctis eis pœnitentiis, misericorditer in Domine relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium & singularium fidem & testimonium præmissorum, presentes nostras literas exinde fieri mandavimus nostrorumque Cardinalatum Sigillorum jusimus & fecimus appensione communiri. Datum Rome in domibus nostrarum solitarum resideniarum, anno à Nativitate Domini millesimo, quadringentesimo, sexagesimo Sexto; Indictione quarta decima, die vero nona mensie Augusti Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Pauli, divina providentia, Papa Secundi, anno secundo.

**Quas ipse Pontifex PAULUS in eundem concessit usum, sequentibus verbis sunt conceptæ:**

**Sententia hujus pro Ecclesia S. Laurentii à Paulo PP.**

**Nativitatis & Annunciationis Mariae V Anni & V. Quadragesima.**

**P**aulus Episcopus, Servus Servorum DEI, universis Christi fidelibus, presentes literas inspecturis, salutem & benedictionem Apostolicam. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi à suis fidelibus dignè & laudabiliter serviatur, de abundantia sua pietatis, qua merita supplicum excedit & vota, bene servientibus multò majora retribuat, quam valeant premereti: nihilominus tamen desiderantes Domino populum reddere acceptabilem, & bonorum operum sectatores, fideles ipsos

ad

ad complacendum ei, quāsi quībūdam alectivis muneribūs, Indulgētiis videlicet & remissionibūs, invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cum isaque sicut accopimus, Parochialis Ecclesia Laurentii, in Curia Regniz, Bambergensis Dioecesis, quæ, propter guerrarum (Bellorum) & pestilitatum turbines multum in suis structuris & edificiis est collapsa, reparacione non modicā indigere dignoscatur: nos cupientes, ut ipsa Ecclesia congruis honoribus frequenteretur, & in structuris & edificiis hujusmodi reparetur ac etiam conservetur, & Christi fideles eò libentius, causâ devotionis, confluant ad eandem, & ad reparacionem & conservationem hujusmodi, manus proutius porrigant adjutrices, quò ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ uberiori conspexerint se refectos: De omnipotenti Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, autoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui in Nativitatis & annunciationis beatæ Mariæ festivitatibus ipsam Ecclesiam devote visitaverint annuarim, & ad reparacionem & conservationem hujusmodi, manus porrexerint adjutrices; singulis festivitatibus, eisdem quinque annos & totidem quadragenas de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam Ecclesiam, aut ad reparacionem & conservationem hujusmodi manus porrigentibus adjutrices, seu alias inibi piæ Eleemosynas erogantibus, alias antiqua Indulgentia, in perpetuum, vel ad certum tempus duratura, per nos concessa fuerit, presentes literæ nubius existant roboris vel momenti. Datum Laterani, anno incarnationis Dominice millesimo, quadragesimo sexagozmo septimo, nono Cal. Julii, Pontificatus nostri Anno tertio.

His itaque Indulgentialibus quin multum in Ecclesiæ commode lucri sit factum, dubium superest nullum, hinc etiam iis ipsis temporibꝫ aut paulo post, aliquam ejus reparacionē susceptā, exposito tunc, ut inferius dicetur, novo mihi probabile fit Altari, utpote quod idem Nobilissimus Ecclesiæ hujus Plebanus *de STEIN* conficiendum & in Templa ornamentum statui voluit.

Egredientis Sec. XV annus ultimus novum huic Ædi dedit augmentum, quo ipso Vir Spectabilis, *Albertus GEILSDORF*, suis sumtibus anteriorem Templi, quæ ingressum munire solet excitavit partem, inibiique *D. ANNÆ* aram statuit, quæ cum ipsa Capella anno sequenti à *D. Hieronymo de Reizenstein*, Episcopo Vicario fuit inaugurata, nominatâ celebri Gailsdorfforum familiâ singulis Martis diebus Missam in illa fieri curante; dormitorium

**N**um simul ea<sup>z</sup> sibi has se legerat ædes, ut **Widemannus** ex Epitaphiis illorum, nullibi tamen amplius hodie comparentibus, probat; Forte an ut olim Ara, ita successu temporis hæc qvoqve sunt remota.

Quæ autem hominibus ædificiisq; gemina sunt fata, nempe ut paulatim cum tempore vergant ad interitum, idqve cò proprantiùs, qvò minus curantur soliciùs, ea D. nostri Laurentii Templo omni accidere vehementiâ. Cum enim circa A. 1480. illud loco matrisqve honore dejiceretur sao, & contra insigni accessione auctum S. Michaelis in nova Urbe Templum Parochialis seqveretur dignitatem, negligentius indies haberi cœpit, tandemqve, belli etiam & aliis calamitatibus largiter suum in id conseruentibus, teatum adeo factum est illustre, ut nivem pluviasqve undiqve admitteret, ipsis ne quidem ædis interioribus à tempestatum injuriis salvis.

Indignè hanc optimi & antiquissimi Templi stragem tulere Cordatiores quidam & in Deum suosqve pèdem mortuos religiosiores, hinc de nova ejus immunitate pariter & exornatione cogitantes, symbola in unum conferre, largâqve manu rem divinam juvare, constituerunt; qvæ pia cogitata omni conatu non tantū aluerunt, sed etiam uno vel altero popysmate indies ad majaora audenda stimulârunt ad divum Laurentium nostrum t.t. Concionatores fidissimi, post utriqve Archi-Diaconi, Vespertini ad D. Michaelm Prædicatores & Rever. Pl. Capitali Camerarii Seniorq; meritissimi, Dn. M. Ambrosius HEMMER, & Successor ejus M. Georgius KÜFNER, b. m. qvorum voces admonitoriaz in tantum valuerunt, ut intra duodecennium, mille ducenti & ultrà Thaleri in subsidium hujus Ecclesiæ fuerint collecti, inqve necessarios ejus usus impensi, ex qvo tandem in eum consurrexit niterem, qvo in hunc diem per DEI gratiam est conspicua.

Commendat hanc laude, & grata Posteritatis memoria omnino dignam industriam elegantissima illa Tabula, qvâ exteriorem totius Templi cum integro Cosmiterio & circumiacentibus

bus arvis, ipsamqve fidelium ministrorum in hac opera & cura faciem, vivis expressit coloribus Apelles qvondā Curie nostrae satis famosus, Tobias Wolfart, & qvæ in perpetuam rei memoriam, à dextro ipsius suggesti latere, versus Altare primarium, erit tenui votiva æternū suspensa, seqventi epigraphe: **S**a man nach Christi unsers Erlösers Geburt zehlt 1640 Jahr/ waren bey diesem Tempel verordnete: (1) Herr M. Ambrosius Hemmer/ Prediger/ (2) Johann Baumann und Bernhard Tirtschner/ Gottes-Haus-Väter/ (3) Johann Wohniser/ Schulmeister. Und weil gedachter Tempel dermaßen in Abnehmen kommen war/ daß man für Regen nicht mehr vermochte den Gottesdienst füglichen darinnen zu verrichten/ als sind auf vorgepflogenen Rath die Eingepfarrten Edle/ Bürger und Bauers-Volk um ein freywillige Gabe/ den Tempel zu bessern/ bittlich ersucht worden/ so inner halb Zahren/ auf 250 Reichstb. darzu verehret; Nachdem aber An. 1642. Herr M. Hemmer zum Vesper-Prediger in die S. Michaëlis-Kirche/ Herr M. Georgius Küsner aber nach S. Lorenz befördert worden/ hat derselbe den Tempel-Bau continuiten helfen; **G**adann innerhalb seiner 10jährigen Prædicatur, auch bey hars bedrängten Zeiten/ wiederum auf 976 Reichstb. zu diesem Tempels Bau freywillig gegeben/ und derselbe/ wie er ist steht/ völlig erbauet worden.

**C**um autem nihil saltibus, sed omnia gradibus ad suam tendant perfectionem, cā qvoqve viā Templi nostri innovationem processisse sciendum est; Annō enim 1640 utriq; fornices duarum ulteriorum capellarum fuerunt renovati, albedine & coloribus paululum tinteti, dictis etiam Biblicis collustrati, qvæ opera 20 Junii fuit absoluta, testante de illa alterius Capellæ lateri versus suggestum illita, sed intentidein exalbescens hæc Inscriptio: **G**ÖTTE dem Allmächtigen zu Ehren/ der Kirchen zur Hierde; haben die zween Gotteshaus-Väter zu S. Lorenz/ als Hans Baumann und Bernhard Tirtschner diese Kirchen weisen und renoviren lassen/ durch I.N.R. und F.S.M [qvæ literæ nomina Artificum, Jo. Nicolaum Richter & Friedericum Schmiedt pictores exprimunt: ] Anno 1640, den 20 Junii absolviret worden. Ad medium hinc Templi partem curandam curæ conversæ, cuius laqvar, ex opere fabrili scriniariorum elegantissimè confectum, inqve tabulas fuit distinctum, qvarum singulæ singulis Figuris Biblicis floridissimo colore pictæ sunt. **S**umtus in hanc pictu-

ram denū Proceres Urbis, lautioris fortunæ Civis, & integræ etiam opificia liberaliter contulerunt; hinc, ut per has tabulas nomina sua simul æternitatis tabulis insererent, singula calcii larum sunt inscripta; Ambones quoque & parietes eadem arte sunt ornati pictoria, quæ suprà nominatus *Friedericus Schmidt*, *Civis & pictor Culmbacensis*, qui ipse nomen suum, cum Anno 1642, in tabulâ ferè ultimâ expressit, perfecit. Quid & ut integrum Templi corpus sibi apte responderet, pro ea, quæ est in Sacra liberalitate, *Dn. Wolfgang Anton Schmidt* tunc Senator, nunc Consul Curiæ dignissimus, antepagmentis, seu Annæ Capellæ de pictura A. 1659. prospexit. Annus 1645 Organo Musico ornavit ædem, cui comparando quamquam denuo viritim pecunia sit collecta, potiore tamen in hoc opere sui nominis famam liberali admodum donatione volare posteritati commendatam conjuges illi, quorum insignia sculptoriâ arte, in apice ipsius Organi, conspiciuntur, subscriptis paulò inferius nominib: *Nicolaus TROELZINGER* / Obrist-Wachtmeister & Riesel. *Maria E. G. v. LEESEN*; ut & Evergetæ bini alii, quorum signa in aliis picta fulgent, & nomina leguntur: *Wolff Sigmund von LEESEN* / Obrist-Lieutenant & *Baldmar REMMERT* / Lieutenant. Jamq; Annus ingrebat 1649, qui novo quoque suggesto condendo incumbebat, insignis pariter sculpturæ & picturæ, nec finiit, nisi Opere cepto feliciter priùs finito.

Cum autem inter reliquias Templorum appertinentias Campanæ non ultimum teneant locum, è trinis, quibus huic nostro succurrit Curatorum sedulitas, media & minima in Urbe vicina Plaviensi, à Gallicano quodam, ut ferunt, artifice, qui in altera nomen suum literis expressit initialibus I. D. sunt fusæ. Mediæ hanc impressit scripturam: Diese beyde Glocken sind durch vieler guthergiger Leute zusammen schiessen in die Lorenz-Birch/zum HOF gestiftet worden/im Jahr 1650. Minimæ vero seqventes rythmos: Wann man uns beyde leit zu hauff/ | Hör Gottes Wort und thu darnach/ O Mensch zum Hause Gottes lauff; | so steht bey Gott wohl all dein Sach. Maxima autem biennio post fuit supperaddita, quæ tamen, cum A. 71 d. 1. Octobris, inter sonandum vitium caperet, ex fragmentis ejus anno sequenti

nova



nova fuit confiata, & 28 Septembris primùm usui suo sacerata. Ipsa prodit suum artificem & statemque, inscriptione satis tamen mutila edisserens: A. 1672 da goß Johann Berger von Weymar zum Hof/ den Septembris.

Sed non sufficiebat turricula, qvæ summitati testi olim imminebat, ferrando tanto oneri, hinc cum damnu ipsi Templo metueretur, de novo & firmiori quoq; turri cōsilja agitavere Patres, tandemq; consulta Annis 1674, 75, 76. in effectum deduxeré, turremq; ut hodie extat, extruxerunt, lapide ærario contra tempestates undiq; eum munientes, quo ipso, ne & medium Templi tectum, scandulis antea coniectum, eadem, qvæ olim, subiret fata. Anno jam 1657 pars septentrionalis; seqventi, qva versus meridiem prospicit, reliqua fuit cooperta. Horologium nos adhuc detineret, quo patiter turris cum indice claret; Sed cum hoc Communitatis V. U. der Gemein/jura seqvatur, nosqve hora temporis desinendi hic, & ἐργον agendi, jam jam monuerit, reliqua, qvæ in interiori Templo curiosis lustranda oculis adhuc supersunt, in proximum differimus.

Qvibus autem hæc ipsa præfari voluimus, Tres Gymnasii nostri ingenui sunt Cives, qvi in Academiam se collaturi, publicum Pietatis gratitudinisq; suæ duxere specimen, publicè pro more valedicere, Deoq; & Patronis suis, pro collatis haec tenus in se bonis, devotas grates deponere. Primus est

**Wolfgangus Adamus REINELIUS Selbensis**, Viri qvondam Pl. Reverendi ac Pre-Clarissimi Dn. M. Pauli REINELII, Selbensium Pasteris meritisimi, Venerandique VVonsideliensis Capituli Senioris Spectatissimi (quo in Cordatum piumq; Theologum omisisse multi etiamnum lugent: ) Filius natu junior. Biennio fere abhinc integro, 15 enim Julii 1686 matri culæ insertus, nobiscum habitavit, felicisque ingenii non nulla dedit specimen, qvod paternæ eruditionis gloriam æmulari poterit, n̄ terrenas cutas moras sibi & impedimenta ponere patietur; Monstravimus ei semper pedū vias, & abeunti non tantum boni ominis causā adhuc ostendimus, sed omnibus votis precibusque comitamus, voentes: ne unquam his excidat, qvin potius regiā hac viā ad honoris famaq; templum plene gressu progressiatur. In Umbone autem Oratorio se sistens ultimò, Prænominis ratione ductus, in laudem communis omnium Parentis Adami evagabitur, floridæq; elegantí satis Oratione naturæ gratieq; inditas ipsi ostendet Prerogativas. Secundus

**Jo. Adamus KARNER**, Thierscheimensis, Dn. Jo. Georgii KARNERI, Judicis Thierscheimensis Filius, qvi integro Triennio priori nobis diuturnior, qvibus 3 Maii, A. 1683 fuit associatus. Pietatis & obseqvii laude minimè defraudamus, qvi utramq; virtutem, sedulò coluit, & in studiis laborem



attulit eò patientius, qvò cùm novercante natura depugnandum sibi novis infestius. Faventes præporro ipsi apprecamur bonos, faventem in Studiorum mari ut habeat Favonium, intimi desiderii nostri votum est, qvèd suis qvoq; exorare precibus non cessabit. Nunc, qvi nemini, Amico factus contrarius, & simulato Prænominis horrore, Adamum vituperio excipiet, lapsus ipsi suum nostrumq; exprobabit gravius, à Primi in Secundie Adami transiurus casta.

## Tertius

**Jo. Friedericus JAHN, Berga Variscus, Filius Viri Per-Reverendi & Doctissimi Dn. Nicolai JAHNII, Pastoris in Fressen fidelissimi, qvi Sexennio integro (d. 4. enim Maji 1682 Albo nostro nomen dedit) Curiæ commoratq; satis luculentam studiorum de se spem præbuit, qvà ipsâ mactus Stipendio qvoq; Triviali, à Serenissimo Patriæ Patre in eum collato, qvadriennium fuit frutus. Nunc, cum Dn. Parentis suaq; ipsius voce dimitti instantissimè peteret, ne commodis ejus amborumq; votis qvicqvam obesse videremur, bona cùm pace dimittimus, majorē studiorū indies ardorem apprecamur. Ingrati animi vitium publica Gratiarum Actione, Carmine Latino Heroico conscriptâ, à se suorumq; Commilitonum nomine sufficienter absterget, pacē ex nomine inter apud Baix Commilitones, breviter tamē cōpositurq;.**

Hos itaq; tres Juvenes, ut eò lætioribus dimittere queamus auspiciis, Urbis nostræ Primores Proceresq; SERENISSIMI PRINCIPIS AC NUTRITII NOSTRI CLEMENTISSIMI Supremum Consiliorum Præsidem, Consiliarium Intimum Speciabilissimum, Exarchumq; Provincialem Curia nostræ Gravissimū, Illustriss. Comitem ac Dominum, DN. JO. ALBERTUM, S.R.I. Comitem de Ronov & Bieberstein, Dominum in Oppurg, Knau, Grobiz & Grünau &c. Dn. nostrum multum gratioissimam; Illustrissimum itidem Comitem ac Dn. JO. ERNESTUM, S.R.I. Comitem de & in Tettenpach &c. Baronem de Gannouviz, Pann. Dominum in Gailsdorf, Tübel & Birk, Dn. nostrum pariter gratioissimum, cui diuturnam intra Curia mœnia hoc ipso ominamur felicitatem! Præterea Maxime Reverendum ac Pra-Nobiliss. Dn. Josephum Friedericum de Waldeck, hujus ac Vicinarum Ecclesiarum Pastorem Prim. ac Superintendentem Vigilantissimum, Gymnasii Ephorum meritisimum, cum Reverendo Pl. Ministerio; Nobiliss. Excellentiss. Urbis Physicum Ordinarium, Adjunctum, Medicos; Ampliss. Consultiss. Dnn. Officiales; Prudentissimum, Spectatiss. Senatum, Gymnasii Patronū ac Scholarchas; Conjunctionis. Dnn. Collegas, Studiojosq; Humaniss. & quosvis literarum Fautores, omni exoramus prece, Dicturis gratiosam benignamq; præbeant aurem, qvi omni obseqvio & studio id demereri nulli cessabimus. P.P. Dominica

ROGATE, A. cl̄ Ioc LXXXVIII.



gracie, favoris amonque in nostra nota denotus, nuncquam de-  
meminerit.

TE

ADHE

970

M.

